

Epistolae

[Page 68]

1. Religioso viro fratri Bernardo de Arectio ordinis Minorum bacellario Florentino.
Egre fero, dilectissime mi frater Bernarde, quod vos egro similem hodierna luce cognovi, tantaque vestri caritate teneor ut particulam illius febrilis igniculi qui vos valetudinare facit pro vestri libenter alleviatione susciperem, vobisque persuadere habeo ne quid ultra vires lucubrate noctes apportent illudque vultuosus petita venia dixerim hominem a pietate peregrinum qui sibi non parcit. 2. Paterer etsi moleste si vestra dumtaxat esset offensa sed multos languor vester offendit. Artus ipse, licet nervorum soliditate firmissimus, «si numquam cesses tendere lentus erit». Vult pausam fatigatus studiis animus qua virium ac alimenti loco sustentatur. Intermissa plus sapiunt, continuata vero insaporescunt. Non est quod abstemio repostas epulas insultet, quem religiosissima vita vestra tenuem sentit. Restat ut vos oneri, quod viribus vestris impar perpenditis, salubri consilio at properiter subducatis. 3. Nobis quidem quorum cibi consumpti relinquunt penuriam quique corruptorum morum peste laboramus, tantulo temporis sepe decubuisse non nocuit, dum talibus abstinere ipsa valitudine monemur, purgatissimis ista non competit. 4. Apud Plinium legi optimos esse nos dum infirmi sumus, tunc nos nec avaritia aut libido solicitat, non amor inflamat, non appetimus per id tempus honores, opes negligimus et quantulumcumque et relicturi satis habemus. Optabatque vir tantus talem perseverare sanatum qualem futurum profitebatur infirmum. [Page 70]

1. Donato Guadagni.
Fili Donate, sic enim possum et teneor et licet dicere, cum patris affectione te diligam, quia pater tuus me dilexit ut filium. In hoc refert, quia ille mihi manus porrexit adiutrices, ego non tibi, nisi animo, quia non potens, dabit deus sicut spero et quod utinam sit quam maturissime. Cognosces enim me patrem alterum non ingratum. 2. Ego summe letor quod, clare indolis puer, exakte matureque, ut ferunt, etatis mirum portendis puerilia quoque suppeditans, studiorum cupidus, preceptoris reverens, morum amantissimus, conviventium coetanorum, quos virtuosos sentis, domesticus discretusque conversator, infracti animi et ad magna tendentis, turpium inimicus. 3. Fac igitur, fili, ut bene cepta prosequaris, nullis etatis lubrice illecebris captus, ut laborum tuorum expectatissimos fructus parentes tui sic percipient, ut metentes impleant manus et manipulos colligant fructuosos. Ipsi enim egoque operam dabimus quo facilius habiliusque studiis assumptis immoreris. Interim quantum etas tenera patitur enitaris ut virtuosa principia coequali fide concludas, quod per facile futurum speramus, ubi volueris. Nihil enim volenti difficile. Audi, quod forte legisti aut lecturus es:
Nihil mortalibus ardui est:
celum ipsum stultitia petimus neque
per nostrum patimur scelus
iracunda lovem ponere fulmina.
4. Quantumque moribus studiisque processeris, age ut tuis edoctus literis avidissimus ediscam. Magno mihi gaudio futurum, ubi te didicisse monstrabis. [Page 72]

1. Domino Berardo de Aquino.
Quanta mihi verborum paupertas, imo egestas, sit in maximis lacrimarum divitiis ubertim imbuentium, quia mihi non blandior, nunc ipse perpendo. Effusus plangerem, nisi vereri viderer dubium esse an amaverim dominum et benefactorem meum, unam regis nostri progeniem dudum, Karolum serenissimum Calabrie ducem, vita nunc lacrimabiliter multis functum, vobis potissime, domine mi, precordialius tanto, quanto vos singularius diligebat. Desunt mihi verba, non lacrime, quas meritissimus dolor expressit. Sed ne, dum meas prosequor, vestras irritem, meas prius opus est siccem. Mihi tamen difficillimum est moderari luctibus meis et vestris, quibus animo crucior, mederi. Sed quia inveteratus dolor irrideri solet, cum dicatur stultus aut fictus, ausim persuadere fidentius ut illum deseratis, potius quam ipse vos deserat.
Turpissimum subiectum dicunt in homine docto doloris remedium lassitudinem

merendi. **2.**Scitis illud

*Mors equo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turres.*

Cogitemus, ut Annei verbis utar, nos cito perventuros quo dominus nec putemus illum periisse, sed premissum. Habere debemus homines tamquam amissuri et amittere tamquam habeamus. Dura fateor lex imponi vestre magnificientie videtur, ne dominum sic clementem, magnanimum, liberallem, pius, vestri amantissimum iustissimumque defleatis extinctum.

De quo quia delectissimum Virgilianum illud dicere possumus[Page 74]

Daphni, tuum penos etiam ingemuisse leones

Interitum montesque fere silveque loquuntur,

et illud eiusdem

*Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uve
ut gregibus tauri, segetes ut pinguis arvis,
tu decus omne tuis.*

Postquam te fata tulerunt

Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.

Illum etiam laurus etiam flevere mirice.

3.Maximus tamen Grecorum poeta in unum dumtaxat diem ius flendi esse monstravit cum dixit Niobem de cibo cogitasse. Emoderandus itaque dolor est, qui parum immo nihil profuturus est. Sit ergo satius, domine maior, damnum reparare quam flere. Agatisque sic ut iocunda sit amissi domini recordatio, que et si mentis habeat morsum voluptate non caret. Unde est illud Actali: «Sic enim defunctorum memoria nobis iocunda est, sicut quedam poma sunt, suaviter aspera, et vino veteri ipsa nos amaritudo delectat». **4.**Solutus est lege nature ab hoc tristi luteoque domicilio et exutus ista vita qua quis falso vivere creditur, cum sit mori. Terrenusque dux cum celesti, temporalis cum eterno, passibilis cum impassibili. Omni pulso mortalitatis defectu eterno bono inseparabiliter inheret, ridetque nostri ludibria mundi. Ostendit nobis tamen Deus illum, non dedit, vivet tamen memoria. Nam *in freta dum fluvii current, dum montibus umbre*[Page 76]

Istrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
semper honos nomenque suum laudesque manebunt.

5.Sed quia horrent admotas vulnera cruda manus, a recenti ulceris contractione discedo, illud ex affectu vultuoso subiens supplicansque, ut talem vos adversa nunc experiantur et videant, quod immersabili constantique animo sicut generis vestri claritas et virtutum vestrarum spectata in multis probitas exigit. Aliis potius detis quam recipiatis dignum consolationis exemplum.[Page 78]

1.Domino Cambio de Podiobonici.

Sepenumero de fortune malignitate conquereris, domine Cambi, quod coniugem pueroram non habes, que et tui suique voti in suscipienda sobole non compos anxiatur. Essent enim sibi castissimi amoris pignora certissima; pignora, que ut habeat, suscipiat, ablactet, nominet, basiet, neniet, tota cum mente suspirat. Indulgendum est enim, si mater esse desiderat: feminarum namque precipuum munus est concipere tuerique conceptum: quod ubi non datur, apud viros, quamvis uxorios, contemptui se esse arbitrantur. Tibi quidem non ita nec sic ex facili parcendum, si liberorum cura supra modum afficeris, sollicitareris, inquietareris.

2.Neque enim illos tulerim steriles viros qui ob id balnea frequentant, peregrinarum succos herbarum epotant, potionis sorbillant et, quod ridiculosius est, anicularum imprecationibus credunt usque ad phylateria curiosi et cartularum virginarium appendia, quo nihil profecto insulsius.

Nec tamen improbo filiorum vota modestie freno cohibita, ad quorum susceptionem ipsa suis stimulis natura et invitat et cogit.

3.Tu mihi obicies longe facilius esse superfluos liberorum procreandorum affectus culpare, quam vitare: recta enim consilia facilius dantur quam peraguntur. Nec ego diffiteri habeo; tamen ut vir sis virium et virtutum exercitatus cupio mihi credas volo, qui utramvis partem expertus de his rectius indicaverim. **4.**Precessit uxor alia istam quam habeo dilectissimam mihi. Illa me patrem non fecit, infecunda; ista plurium parentem effecit, quorum alii non ista, sed perpetua et vera luce perfruuntur, in ipso pene vite lumine revocati; tres satis belli pueri etherea mecum aura vescuntur; dulces equidem mihi, sed ubi singula rationis libramine appendas velisque sentire utrum cum filiis amaris[Page 80]

preponderent dulcia vel dulcibus amara supererentur, iureiurando firmarem plus aleos illos habere quam mellis. **5.**Fateor etatula illa infantili iocosissimos esse; que tamen plena lacrimulis est, sic ut unus risus decem lacrimas comites habeat vociferosas, parentibus amarissimas. Omitto cunales vagitus eiulatusque, ut raro eo loci quo alumnantur

coctiles oculi somni placida quietem admittant. Transeo Ethna graviores
altricum fastus, contumelias, verba superciliosa, simulatam lactis
egeni pauperiem, quoad vel imperiose vincant, vel dum infantuli
saluti consulimus, mercedis assequantur auctionem.

6. Quid referam, dum eo usque deuentum est ut mulieres nostre negligent
lactare quos gignunt, alumnantium crebras mutationes, ex quibus
infantuli non minus sepe de moribus quam de lacte sugere videntur,
natura quasi complexione superata. Nec prosequor acerbissimos in ipsis
flosculis frequentes obitus, quos, cum adhuc dum ordirentur,
succisos, inconsolabiliter deflemus: et ubi grandiusculi iam verbula
ligatis sonis moluntur, frequentes egritudines, ut illos sepe collectis
protuberatos humoribus dum videmus, exanimemur: et cum ex levissimis
causis insperatis febriculis ardere videmus, decoquimur quibus
annorum teneritudo necessarias morbi medelas non recepit. Taceo ad
omnem strepitum domus, ad omnes equinos discursus, cordis incussa
ex filiorum suspicata pernitie gelidi. **7.** Non prosequor adolescentie
lubricissimum tempus, in qua leviorum plures quam destrorum vite
peragendo iter ingressi, patrum dicuntur esse tortores et parentum canentis
etatis ruinam erigere [sustinere] futuris quoque pietatis officio
debitis obviam ire illos suis vitiorum molibus obrunt, ante diem paternos
cineres expectantes; unde Naso:[Page 82]

filius ante diem, patrios desiderat annos.

Victa iacet pietas.

8. Velim itaque ut data tibi sorte contentus vivas permittasque ut de Iuvenalis
carminibus mutuer:

expendere numinibus quid

conveniat nobis rebusque sit utile nostris.

Carior est illis homo quam sibi.

Si tibi qui dare potest filios negavit, exalta sue divine providentie
specula: previdit tales te habiturum quibus prestat carere quam frui.
Meministi, si non decipior, illius, quod per multorum ora tritum non
ineleganter evolvitur Greci preceptoris, qui carentem liberis infortunio,
dixit se esse felicem. Sunt et qui fortunatum putent inuxoratum:
sic ille Terentius, et quem fortunatum isti putant uxorem numquam
habuit, a quibus longe dissentio. **9.** Sed ne tibi persuadere videar negligendam
sobolem, currentem epistolam strictioribus habenis abducam,
summa ope adortans, ut genitalis thori modestam sollecitudinem
gerens, superflua tamen superstitione prolixis amore studia succidas;
illisque iugalem tuam prosequaris affectibus honestissimam, ac si votivis
infantulis multas tibi cunas implesset. Dabit forsitan deus sollicitis
precatis tuis et votis auditum, ut pulchra faciat te prole parentem.

Tu interim gaude sorte tua. Tibi denique mihi perorandum est:

ut sit mens sana in corpore sano.

Forte posce animum mortis terrore carentem.

Raro enim, ut cum Enonis loquar, ad Deum iusta fusa deprecatio votivo
nudatur effectu.[Page 100]

Missiva ad dominum Gerium de Arectio. Dum secum reputat Venerem pervertere leges
mens mea, consilium Citheream pellere sumit

polo Venus celeri natusque Cupido volatu
prorepit furtim: proprias flammaque medullas
urit et his verbis mulcens mea pectora mater
(addidit atque minas si non obtempero dictis)
alloquitur: «Memini quondam te lactea nostra
ubera lactare nostraque recludere postes
arte sinu domine te collectumque benigne.

At nunc prompta tibi facere quodcumque rogares.

Sed quid castra fugis Veneris, quondam tibi grata,
nunc ingrata, rato nos deseruisse pharetram
telave que bivio potuerunt addere letum?

Quo te cunque sequar, fugies, nec Delya vita
pristina restituet». - Prestoque Diana furensque
tediferas tales archano pectore voces
mittit: «Nonne satis cunctos te ledere nostros?

Mene petis? Quid ni? Numquam mens sacra prophanis
consonat indictis. - Sic orsa siletque movendo.

Instillat quedam, Veneris quo fugere possim
mores, des curis animum, studi quoque: solus
nunquam permaneas: huc pergas». Dum sequor illam
per scopulos teturisque nemus, de pluribus unus
prosiluit latebrisque lepus quem Delya ferro
fundit humi donansque rogit quod partiar illum
cum sotii: sic ergo velis huc pergere pransum,
Cambius esto comes, rubet et quo tempore Titan.

[Page 102]

Responsa domini Gerii Frederici de Arectio. Carmina Lernee generoso in gramine ripe
decantata tenens, veteres cecinisse poetas
non sic dulce miror, grandes licet inclita tollat
fama viros celoque locet flumenque bicorni
exhausisse iugo referens et Apolline complet.
Vixque ego iam Trivie monitus Dioneaque currens
verba, tamen teneris semper noctura medullis
ridebam silvis leporem non nare molossi
occubuisse, tua volucri sed terga sagitta
fixa gerens, animam nemorum posuisse sub umbris,
cum Venus: - O si quem nostri reverentia tangit,
huc adverte precor, saltus si cura ferarum
solicitatem celeresque sequi vel figere cervos
linaque dumosis distinguere montibus altis
saxa per et valles sonitu pulsare canoro.
Proh, iuvenis nimiumque puer, cui talia cure!
Crudi hominum mores, lapidosaque gentis origo,
hanc vitam traxere quidem. Genitalia postquam
falciferi truncata senis collisaque in undis
spumavere novis, ego tunc nosterque Cupido
orta, prius molles sua iungere rostra columbas
edocui, mutumque pecus sua volvere verba
et Venerem liquidis pisces sensere sub undis.
Cur humiles terris iuvat enarrare triumphos?
Ipsa ego celicolas blando expugnare tumultu
agressa et summi contemnere iura Tonantis,
infernumque Deum Siculi tenuistis amores.
At quem montivage studium mollisque pharetra
exercet nostris quandam cui cura sub armis

[Page 104]

liscius, experiar quidnam imperiosa volantis
tela queant: non arma sibi monitusve Diane
profuerit, clipeata licet sua pectora gestet.
Tu pueri meus ipse, meus non ille ferarum
invasor, mandata tenes tu molle canentum.
In medio Galathea tuis hinc pressa renodat
oscula, cornigero dudum rapienda Tonanti,
hinc cinera amplexu stringens tua colla recurva
inter serta fuit. Carpit flamma alta caminos.
I nunc et virides cantent Amarilida silve;
extollatque suam Cynaram modo carmine Flaccus,
sic Dea, cum tenerum sublata per ethera fugit,
subiungens, pavidum leporem vix alta peremisit
Delya non celeri mentita per arva sagitta.
Tu modo volve focus leporem: dentata paratur
adventare cohors que viscera queque lebetes
diripiet animosa nimis ferrumque liquabit.
Sic iubet ire Venus Venerisque filius ardens.

[Page 124]

1. Domino Gerardo de Castro Florentino iuris perito.

Non minus Cesaris scripta quam bella lectitans miror; habuit enim
prima cum paucis, secunda cum multis, nec minus ipse domitor mundi
exteras pugnacissimas nationes regionesque tremefecit, imperium
Oceano, astris terminans famam, quam Comentariis suis Belli Gallici,
quod geminis lustris feliciter confecit, scriptores, quamquam facundissimos,
alti sui stili operositate preterivit. Nec inferius putavit
tantus princeps scribere legenda quam scribenda peragere, illudque
perditissimum tempus putabat, quo vel bellis aut scriptis operam non
dabat. 2. Quod qui scire voluerint, Tranquillum de Cesariis volvant
et Ciceronianas ad illum luculentissimas orationes, omnem quin ymo
Romanam historiam, et tunc perpendant quam ritu suo secundum illorum
temporum superstitiones sectam antiquitas meritissime lulium
inter divos suos referens consecravit.

3. Nostra vero etas, domine Gerarde, tales longo superbientes sanguine
parturit, ut indigere putent litteras noscere habeantque contemptui
si quem regni ductorem studiis vacare cognoverint, longe decepti, si
scrutamur, scientiam armis inimicam arbitrantur. Transeo reges imperialeaque
fortunam, quibus ipsa felicitas in multis veniam negat
et prestat; venio ad inferiores gradus viros, quos non vera, que sola
et unica virtus animi est nobilitas, sed facta et mentita ex antiquitatis
utcumque divitiarum cumulu, isto nobilitatis vocabulo insignivit.

Quid in illis splendide mentis elucet, que semina surgunt generosa
virtutum, quid morum? Non considerantes illud
Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
sanguine censeri, pictos ostendere vultus [Page 126]

maiorum et stantes in curribus Emilianos

Si coram Lepidis male vivunt?

4. Satisque putant nostri si canum nemorosis latratibus indulgent aut in
aucupiis dies perdant, solo famose domus cognomine contenti. Non tamen
ista contemno cum animus sepe motu corporis excitetur. Sed cuperem
nobiles tales, ubi animo vacationem dederint, litteras amare, colere
et exercere virtutes, ut quam nesciunt morum discenter reformationem.

In ipsis etiam venatibus pugillares non sunt alieni, quos Plinium Secundum
Veronensem, clarissimum oratorem, de cuius stilo libenter furor,
dum sedebat ad retia, apres captabat, venabula disponebat, exercuisse
legi; dicebatque illud ocium, quod venatori datur, magna cogitationis
incitamenta esse et Dianam non magis montibus quam Minervam inerrare.

5. Sed ne, dum licenter vago, satiram scribere videar (licet illam hoc seculo
non scribere difficile sit, in tanta maxime bonorum egestate, qua
premimur) ad Cesaris Commentarios redeo, quos per gerulum meum
ad vos mitto, summa, si bene auguror, cum affectione visendos, quorum
vos participem facio, tanto libro dignissimum. Et licet satis sit, nihil
tamen est satis quod dignus accepit; sitque cure vobis ne in alicuius manus
dilabantur, qui illos thuris aut piperis apothecarios faciat, Ylerdam
aut Uticam, ut utar Horatii verbo, sicut ineptas cartas transmictendos.
Sed frustra id vereor: iam enim talem elegi personam cui dilectissimum
mihi librum tute credendum putaverim, persuadens eque vobis ac mihi
ut enitamus aliquid agere quo nos post mortem vixisse testemur. [Page 128]

Domini Geri de Aretio.

Venerabili amico suo plurimum honorando, domino Viviano, suus Cola
pro libito copiam prosperorum.

Quantas referendarum gratiarum conceperim actiones non explico, fatigarem
etenim calatum et abunde non dicerem, nimietate convictus.

Ambaxiatam meam et licteras consanguineis affectuose secundum
preces porrexitis, ut sentio effectum ut spero proficuum habituras. Plura
non dico; supplet namque curti sermonis compendium grandis cordis
affectio circa singula semper que honorem vestrum respicerent et profectum.
Sum vester et cetera.